

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4891

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

671

## C O D I C E S

672

nostro in Codice *Libro de Haeresisibus* continuo cohaeret hoc titulo miniatu: *Dubitacio ad agarenos*, incipitque: *Si interrogatus fueris a saraceno dicente quem dicas christum &c.* Et finit: *nichil apponens ad ipsum alterum.* Textus graecus, quem tempore suo *Lequienius* in Biblioteca *Caesarea* latere questus est T. cit. p. 465. Viris eruditis liberalissime offertur. Extat inter Codd. graecos theologicos N°. 306. p. 100. hoc titulo: *Διαλεξίς σαρακηνού καυχεισιανού.*

CCXV. IX F. 5

490 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. 4. currente calamo scriptus, rubricisque pernotatus hoc gaudet titulo: *Incipit liber Beati Crisostomi de opere imperfetto*, in *Mattbaeum* scilicet, cuius XXV. Capita de XXVIII. exponuntur Homiliis LIII. quamvis rectius Commentarius perpetuus dici possit, qua forma etiam in praesenti Codice extat. *Johannis Chrys.* porro non esse, norunt Eruditi, et dictum est ad Codd. praeced. Prologi initium: *Sicut referunt Matheum conscribere Evangelium causa contulit talis &c.* Ipsius Expositionis: *Liber generacionis ihesu christi — Liber quasi apoteca graciarum &c.* Ita vero integra non est in Codice; deficit enim C. XXIII. Homilia sic dicta XLVI. in iis verbis: *Si quis autem misterium hoc per illum putat impletum quod in actibus apostolorum legitur — —*

*leguntur — — quae habentur edit. Opp. Job. Chrys. lat. Lugd. 1687. T. II. p. 439.* Et tamen Librarius noster adscripsit: *Et sic est finis huius operis.* Quod merito manus ejusdem Seculi coarguit addendo: *sed non finisti, sed es subduktor.* Certe enim plusquam 12. folia edit. mox *cit. subducta* sunt. Ut adeo Commentaria ista, prout hic extant, dupli- ci titulo *Opus imperfectum* dici queant.

CCXVI. IX F. 28

Codex chartaceus lat. boh. 513 Sec. XV. Folior. 335. 4. currente, sed non uno calamo exaratus plura complectitur, quae edissemus. I. *Incipit Crisostomus super Math. de Opere imperfecto.* Initium: *Sicut referunt Matheum conscribere euangelium causa contulit talis &c.* Non esse *Chrysostomi* jam dictum ad Codd. praeced. Illud observo, praefens Exemplum in iisdem verbis deficere, in quibus deficere vidimus Exemplum Cod. praeced. videlicet: *Si quis autem misterium hoc per illum putat impletum quod in actibus apostolorum legitur — —*.

II. fol. 195. *Reuerendi magistri Mathie de corpore christi. Mathiam* hunc esse a *Panow seu Janow*, ob 9. annorum in *Parisina Academia* commorationem *Parisiensem*, dein et *Pragensem* dictum, annoque 1394. vivis exemplum *Pragae* vix dubium est. Opus ejus praefens, alias etiam *de frequenti Communione* inscriptum,